

9. p. q. 71. ar. fin. ad. 3. vbi dicit, q̄ instru-  
ctio, qua eruditur de fidei rudimentis, & qua  
liter se debet habere populus in sumptione  
Sacramentorum, pertinet principaliter ad Cu-  
ratum. Instructio autem de profundis miste-  
riis fidei, & de perfectione fidei X̄pianę per-  
tinet principaliter ad Episcopū. Circa quod  
dicit Sūma Tabie. q̄ officium prædicādi prin-  
cipaliter conuenit Papæ, Episcopis, & Præla-  
tis habētibus auctoritatē Episcopalem. Se-  
cundario autem competit omnibus Sacer-  
dotibus habentibus curam Animarum. Modo  
autē Conc. Trid. Sess. 5. cap. 2. mandat, vt  
Curati, & quicūq; alij curam Animarum ha-  
bentes, & qui Ecclesias quomodocūq; obti-  
nent, per se, vel per alios idoneos, si legiti-  
me impediti fuerint, saltim Dominicis die-  
bus, & festis sollempnibus plebes sibi com-  
missas pro sua, earūq; capacitate, pascant salu-  
taribus verbis, docendo ea, quæ scire omni-  
bus necessarium est ad salutem, annuncian-  
doque eis cum breuitate, & facilitate sermo-  
nis, vitia, quę eos declinare, & virtutes quas  
sectari oportet, vt pœnam æternam euadere,  
& cœlestem gloriam consequi valeant. Vbi  
etiam præcipitur negligentes hac in re, eti-  
am